

Prae ceteris de interpretandis Quaestionibus Köler, Diels, Johann Müller meriti sunt. verba corrupta summo ingenii acumine emendaverunt Madvig, Gertz, Schultess, alii, quamquam non raro his debili fundamento usis aedificium iam corruit.

Ego archetypum quantum possem restituere meum esse duxi et hac de causa omnes coniecturas bonis codicibus invitis a me receptas litteris obliquis vel cancellis signavi. in rebus orthographicis codicum scribarumque mediæ aevi consuetudines sequi non potui, velut *Aristotili* suum reddidi nomen et a Leone iussus *umor* scripsi, non *humor*; minima (velut *inlata*, *illata*) eaque in iisdem codicibus saepe rationem fugientia ne adnotavi quidem. verba Graeca Graecis litteris exhibui (cf. ventorum nomina V 16 et 17).

Verba aliorum auctorum a Seneca adlata ex eorum libris nusquam fere correxi, quia ipse Seneca versus e memoria excitasse videtur (cf. Stud. I 92). quin est, ubi Seneca meliorem textum praebet veluti V 16, 1 *triones*: Metamorphoseon enim libri I 64 *trionem* habent, Diomedes vero *triones* tradit idemque Planudes legit, qui ἄρκτους vertit (H. Müller, de Met. Ovidii cod. Planudeo, Gryph. 1906 p. 10).

Una re maxime angor, quae certiore passu aliquando progredi nos iubebit, observationem dico clausularum. his strenue observatis regulisque artis statutis multa Skutsch temptavit (non omnes coniecturas earum causa ab eo prolatae attuli), neque vero mihi prorsus persuasit. sine dubio Seneca illa artificia non sprexit, tamen ratio finesque consuetudinis Annaeanae adhuc obscura sunt; neque igitur in textu nunc primum e codicibus edendo rationi forte optima sed adhuc incertae ut inservirem ab animo impetravi, nisi offensio gravis aut aliae causae accedebant.

Brevitatis et perspicuitatis cum semper studiosus essem, inutiles singulorum codicum corruptelas ne commemoravi quidem, molestas copias codicum vulgarium η a Fickerto congestas plerumque praetermisi, ipsius codicis **E** carbonibus ante me pro auro venditis non aliter quam philologorum huius aetatis thesauris usus sum. nimirum eodem